

grossos similiter dominis praedictis canonicis regularibus ministrabit, et iidem domini infra quindenam continuam post Michahelis placito die unam missam pro peccatis et salute ipsius modo ut supra scribitur iuxta ipsius devotionem peragent et instaurant decantari; ipsis vero ambobus fratribus, dominis Heinrico praeposito et Frence-lino de medio sublatis in ipsorum anniversario vigiliae maiōres cum missis et pulsu decenti ut praescribitur devocius more solito peragentur, et idem collector similiter XII grossos praedictis dominis in festo sancti Erhardi episcopi et martyris ministrabit, ita quod in coro primas vespas cum matutinis et aliis horis, summam missam et secundas vespas cum historia propria et legenda cum debito pulsu solempniter peragent et decantent, et ammodo missae praeexpressae scilicet de beata ac gloriosa virgine Maria et pro peccatis dimittantur. Praedicti vero fratres cum maxima instancia nobis supplicarunt, quod nos praedictum mansum cum area et aliis suis pertinentiis universis supradicto monasterio sanctae Affrae et ipsius conventui praedictis donare et appropriare dignaremur; nos quoque, ipsorum dominorum et fratrum eorundem obsequiis fidelibus nobis praestitis admoniti eorumque devotis precibus tamquam piis et rationabilibus favorabiliter inclinati, praedictum ipsum mansum cum area pullis ovis et universis aliis suis iuribus et pertinentiis, quibuscunque vocentur nominibus, qui praedictis bonis insunt vel inesse poterunt de praesenti vel in futuro, praefato monasterio sanctae Affrae conventui et capitulo ipsius univimus donavimus et appropriavimus, et praesentibus appropriamus donamus et unimus vero et iusto proprietatis titulo tenendum et habendum et pro usu supradicto perpetuis temporibus possidendum, nihil nobis iuris et heredibus nostris penitus reservantes in eisdem. Ne autem praefata nostra donatio tam libera aliquorum possit in posterum oblivionis velamine suffocari, praesentem paginam conscribi fecimus et sigillorum nostrorum munimine roborari. Datum et actum sunt haec anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.LXXI<sup>o</sup>. secunda feria proxima ante diem beati Kiliani martiris, praesentibus strenuis ac discretis viris Hermanno de Malticz, Johanne de Milticz militibus, Johanne de Malticz, Johanne de Stuchow<sup>e</sup>, Johanne de Tubenheim morante in Proschewicz, domino Gerlaco de Stuchow<sup>e</sup> perpetuo Myßenensis ecclesiae vicario, Bertoldo de Wissinze notario nostro, et pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit den wohl erhaltenen Siegeln der beiden Burggrafen an Pergamentstreifen.

Märcker Burggr. Meissen S. 497 ff. Im Auszug Hasche Magazin VI. 93. VIII. 525 ff.

### No. 218. 1372. 3. Dec.

*Der Probst des Afrastifts Dietrich bekennt, dass er ein Stück Ackers peciam agri vulgariter den Wasserrobe dictam, der unmittelbar mit seinen Aeckern gränze, von dem Besitzer Matheus für 1½ Schock Meissner Groschen zur Benutzung für sich und seine Nachfolger erkaufte habe. A qua quidem pecia agri praedicta custos nostri monasterii in festo beati Martini quatuordecim grossos Mißnenses annui census per dominum Hermannum de Nova civitate perpetuum vicarium ecclesiae Mißnensis pro propria historia de sancto Bartholomeo in ipsius festo perpetuis temporibus decantanda, ac suo anniversario singulis annis certo die peragendo nostrae custodiae a*